Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



mili eos in mundo. Et pro eis
ego sanctifico meipsum: ut sint et
ipsi sanctificati in veritate. Non
pro eis autem rogo tantum: sed et pro eis
qui credituri sunt per verbum eorum
in me, ut omnes unum sint. sicut
tu pater in me et ego in te. ut et
ipsi in nobis unum sint. ut mundus
credat quia tu me misisti.
Et ego claritatem quam dedisti mihi
dedi eis: ut sint unum sicut et
nos unum sumus. Ego in eis
et tu in me: ut sint consummati
in unum. et cognoscat mundus
quia tu me misisti, et dilexisti eos
sicut et me dilexisti. Pater quos
dedisti mihi volo, ut ubi ego
sum, et illi sint mecum. ut videant
claritatem meam quam dedisti mihi.
quia dilexisti me ante constitutionem
mundi. Pater iuste: mundus
te non cognovit. ego autem te cog-
novi. et hi cognoverunt quia tu
me misisti. Et notum feci eis no-
men tuum et notum faciam: ut di-
lectio qua dilexisti me in ipsis
sit et ego in ipsis. secr. Accipe
nos quesumus domine tributis et precibus
propitiatus absolue, quos tanta
mysterii tribuis esse consortes. P.
Omnium munerum largitor. pl.
et sanctificator. quesumus deus ut
humanis semper propagatione vi-
namus. Per. Sup. ppln. Tue
autem quesumus domine dexteram tua ppln
tuum deprecantem. et purificatum
dignanter exudiat. ut consola-
tione pietatis ad futura bona
proficiat. Pecunie. Dominica i
palmis. K. Collegerunt pontifices. an. Ante lex dies sollempnis.
an. Cum appropinquaret. an. Cum
audisset. an. Gloria laus. Ad mis-

Domine ne sam,
longe facias auxi-
lium tuum a me ad
defensionem meam
aspice libera me
de ore leonis et a cornibus unicor-
nium humilitatem meam. Ps. Deus deus
meus respice in me quare me dereliquisti
longe a salute mea. Kyrieleyson, et
christe. et Agnus dei. simplicia me-
lodia dicenda absque Gloria in excelsis,
sicut per totam xl. dominicas diebus. or.
Omnipotens sempiterne deus, qui
humano generi ad imi-
tandum humilitatis exemplum
salvatorem nostrum carnem sumere
et crucem subire fecisti, concede
propitius, ut et patientiae ipius hu-
manitatis et tribulationis consortes
meramur esse. Per. Ad philippenses.
Fratres. Hoc enim sentite in
vobis: quod et in xpo ihu.
Qui cum in forma dei esset, non
rapinam arbitratus est esse se
equalem deo: sed semetipsum exi-
nanivit formam servi accipiens
in similitudinem hominum factus. et
habitu inventus ut homo.
Humiliavit semetipsum factus
obediens usque ad mortem: mortem
autem crucis. Propter quod et deus illum